

Q. N. 365, 10

X 187953A

119
II m
457

Q. D. B. V.

DE

NOMINIBUS

atq; insignibus Lupinis
DISSERTATIO HISTORICA,

Quam,

Permissu Inclytæ Facultatis Phi-
losophicæ

IN ALMA ACADEMIA LIPSIENSI

SUB PRÆSIDIO

V I R I

EXCELLENTISSIMI ATQVE CLARISSIMI

DN. M. JACOBI THOMASII,

Eloqv. P.P. Min. PP. Collegii Collegiati,
PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI ÆTER-
NUM COLENDI,

Publico Eruditorum Examine subicit

JUSTINIANUS Wolff / Numb.

Phil. & LL. Stud.

A. & R.

H. L. Q. C.

Ad diem 14. Septembr. A. C. 1667.

L I P S I Æ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,



940.





I. N. D. N. I. C.

DE NOMINIBUS ATQVE INSIGNIBUS LUPINIS.

§. I.



Tide cæteris animalibus, ita de Lupò quadrupede (quem à pisce & frutice statim hic distinguimus) variis disciplinis magna dicendi seges nasci potest.

§. 2. Grammaticus quidem Lupi Etymon, Synonyma, æquivocationes prodet. Poëta varias hominum in hanc bestiam transmutationes memorabit. Rhetor jam laudabit eum, jam vituperabit, jam accusabit ovium Patronus, jam defendet. Logicus, ubi per omnia eum prædicamenta duxerit, pro lubitu varias ei personas imponet, subjecti, prædicati, majoris in Syllogismo, minoris, medii termini. Physicus cumulo dicendorum tantum non obrui se fatebitur. Ethicus in eo moralium habituum figuras circumspiciet. Oeconomus capiendi Lupi modos peruestigabit. Politicus Machiavellicum Principem repræsentabit sub specie Lupi ovinam pellem induti. Alius aliter Lupum tractabit.

§. 3. Nobis gentilitium cognomen ansam præbuit ex historia delibandi partem illam de variis familiis (quo nomine & alias hominum societates comprehendimus) quibus vel cognomen, vel insignia dedit Lupus.

§. 4. E quo statim intelligitur nihil nobis negotii fore cum fluminibus, aliisve rebus quæ & ipsæ fortè nomina sunt à Lupò sortitæ.

§. 5. Sed ne sic etiam nimium nobis excrescat argumentum, profitemur, ubi de nominibus agendum fuerit, nobis non nisi simplicissimum Lupi nomen, qui Græcis λύκος, Sabinis Hirpus, Germanis Wolff est, curæ fore, ne quis fortè nos ad Lupos, ut ita loquamur, compositos trahat, quales sunt Græcis Lycophrones, Lycurgi, Ly-



cambes, Lycomedes, Lycortæ, Lycasti, Hermolyci, Autolyçi οὐλο-
λοι, &c. Quorum & aliorum plurium meminit *Ulyss. Aldrov. L. 1. de*
quadrup. digit. vivip. c. VI. p. 154. Germanis nostris Wolffhardi,
Wolfframi, Rauhvvolfii.

§. 6. Partes Dissertationis duas constituimus, unam de factis,
alteram de consiliis factorum. Illa seriem complectetur variarum
familiarum, quæ gentilitium vel nomen, vel insigne mutuata sunt à
Lupo. Hæc in causas inquireret, quamobrem hoc animantis genus huic
usui placuerit.

§. 7. Familiæ nomine diximus nos alias quoque humanas so-
cietates complecti. Nimirum dicendum nobis erit de Guelphis, quo-
rum adversus Gibellinos celebris quondam factio per Italiani ali-
asque regiones fuit; dicendum quoque de Civitatibus, quarum insi-
gne Lupus.

§. 8. Præcedat cognomen Lupi, à Græcis initio ducto.

§. 9. Lycum Pandionis filium Regioni Lyciæ nomen dedisse
constat tum *ex Ulyss. Aldrov. L. 1. de quadrup. digit. vivip. c. VI. p.*
156. tum *ex Lexicographis, ut Carol. Steph. Diction. p. 1243.*

§. 10. Lycus Rex Bœotiæ est apud *Calep. p. m. 196.* Mariandy-
norum Regem Lycum; aliū Dascyli Bithyniæ Regis, alium Priami
filium, item unum è Centauris λύκας, dictos scribit *Ulyss. Aldrov. L. 1.*
de quadrup. digit. c. 6. p. 144. & *Carol. Steph. Diction. p. 1247.* quibus
locis & alios vide plures hoc appellatos nomine.

§. 11. Lycus puer Alcæo dilectus teste *Beroald. ad IV. Tusc. f. 89.*
Lycus βῆρμεγος Historicus Rheginus *ap. Voss. de hist. Græc. p. 75.* Ly-
cus vel Lycis Comicus, sed frigidus, & ab Aristophane derisus *ap.*
eundem p. 35. de Poët. Græc.

§. 12. Græcos excipiant Lupi Latini, quos memorare tum Eth-
nicos possumus, tum Christianos.

§. 13. Ex Ethnicis Lupum quendam famosum fecerunt Satyri-
ca Lucilii Carmina, ut *ex his Persii discimus Sat. 1.*

- - - - - secuit Lucilius Urbem

Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis:

Eum Interpretes tradunt Lupum Albutium fuisse, Virum inter no-
bilissimos quidem Reipubl. proceres, sed vitiis coopertum. Ruti-
lios Lupos complures memorat *Glandorpius Onemast. f. 754. & seq.*

§. 14.

§. 14. Christianos magno satis numero relatos habes à *Surio Tom. 7. de Sanctis, & Baronio in Martyrol.* Inter quos sedem non occupat infimam Lupus Episcopus Trecentis, qui cum B. Germano in expugnanda Pelagianorum hæresi totus fuit.

§. 15. Hoc ipso Lupi nomine dicti sunt & Episcopi alii: Senonensis, Lugdunensis, Veronensis. Fuit & Martyr cognomine Lupus. De his omnibus consule. *Baronium p. 545. 598. 637. 741. Martyrol. Abbas Larinorum, qui elegantissimum Epistolarum genus evulgavit, Lupus dictus est, ut scribit. Aldrov. d. l. 5 p.*

§. 16. Lupus Servatus Abbas Monasterii S. Petri in agro Senonensi interfuit Synodo Svesionensi Ao. 843. teste *Voss. de Histor. Lat. p. 317.* Lupus Protospata Historicus, qui de rebus in regno Neapolitano ab Anno 860. ad 1102. gestis scripsisse traditur *apud Miræum I. Biblioth. f. 241.* Petrus Lupus Carmelita & Concionator *apud Opmeer. Chronogr. p. 862.* Seculo superiore floruit.

§. 17. Dum in eo nunc sumus, ut à Latinis ad Germanos progrediamur, intercedunt Sabini, rogantq; ne se planè prætereamus intactos: nam & sibi familias olim fuisse à Lupis denominatas, *Servi-umq; testem citant.* Audiamus ergò, quid de his ille testis *ad XI. Æn. Virg. v. 785.*

§. 18. *Soraëtis est mons Hirpinorum in Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti Patri sacrum persolveretur (nam Manibus consecratus est,) subito venientes Lupi exta rapuerunt: quos cum diu sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeò, ut juxta stantes necaret. Exinde est orta pestilentia, quia fuerant Lupos secuti: de qua responsum est, posse eam sedari, si lupos imitarentur, i. e. rapto viverent. Quod posteaquam factum est, dicti sunt ipsi populi Hirpini Sorani. Nam lupi Sabinorum lingua Hirpi vocantur. Sorani verò à Dite: Nam Ditis Pater Soranus vocatur, quasi Lupi Ditis patris. Unde memor rei Virgilius Aruntem (ad cujus præces hæc Servius commentatur) paulo post (v. 811.) comparat Lupo, quasi Hirpinum Soranum. Eas familias Hirpinas vocat Plinius Lib. VII. c. 2. Hirpos Solinus. c. 8.*

§. 19. Nunc Wolfios Germanos videamus, quos multos *Gesneri Bibliotheca* extollit & nobilitat. Diversos nempe Johann. Wolfios memorat, Hersburgensem, Tigurinum &c. Recitat & Ambrosium, Casparum, Henricum, Stephanum, Thomam, Wolfios.



§. 20. Magnum imprimis nomen peperit sibi vasto memorabili-
um opere, quòq; veluti thesauro rara plurima complexus est, Johan-
nes Wolfius Tabernamontanus, qui Ao. Seculi præteriti ultimo,
Mense Majo obiit: de quo Viro panegyricus exstat *Gregorii Rollwa-*
gen, excusus Tubingæ Ao. 1610.

§. 21. Hieronymus quoq; Wolfius è Veteri Comitatu Oetingen-
si, in Rhetia antiqua oriundus, scriptis suis toto orbe inclaruit. *Wil-*
kus Orat. XXX, multis verbis laudat M. Michaëlem Wolfium, P. P.
olim in Athenæo Salano Log. & Metaph. cujus pater Johannes
Wolf Vinariensis ex Ludimoderatore Consul factus fuerat.

§. 22. Neq; omittendus planè est Leonhardus Lycius hujus quon-
dam Academiae Professor, quem græcum nomen puto pro germani-
co sumsisse, vel ab aliis sibi inditum accepisse. Insignia sanè ejus Lu-
pum habent, qui mordicè ovem interficit, depicta cum Epitaphio
in æde Paulina. Obiit Ao. 1570. 11. Julii.

§. 23. Versantur in manibus Erotemata Juris Conradi Wolfii.
Sunt & apud nos hodiernum Wolfii plurimi, homines alii quidem in-
fimi subsellii, sed alii quoq; autoritatis maximæ, nec non summa et-
que singulari virtutis excellentia clari, quos si enarrare omnes eni-
terer, charta me & tempus deficeret.

§. 24. Tantum de Familiis, quæ Lupi cognomen gentilitium ha-
buerunt. Quibus appendicis loco non incommodè annecti videtur
posse factio Guelphorum, à Guelphone Bavariæ Duce denomina-
ta (ipsum enim Guelphonis nomen à Lupo est) Pontificibus Ro-
manis adversus Cæsares, quibus altera Gibellinorum factio favebat,
inde usq; à Conradi III. Imp. temporibus acriter studens.

§. 25. Equidem unde duabus his factionibus, quibus etiam Italia
diu exagitata fuit, primitus imposita fuerint nomina, non eadem o-
mnium est sententia. Multi hæc in re parùm peritè versantur, quâ de
re scriptum quoddam Benevenuti de S. Georgio inseruit *Gilb. Cogni-*
tus octavo Libro Sylvæ Narrat. p. 622.

§. 26. Vera denominationis utriusq; causa est à tessera militari,
cum in prælio propè Winsbergam Ao. 1140. Welphonis quidem
milites clamarent, hic Welp/ vel hic Wolff/ Cæsariani verò hic Weib-
lingen/ quod Conradus in eo Castro natus & educatus fuisset. vid.
Calvis, in Chronolog. sub Ao. dicto, Limneus Lib. 1. c. 7. è Goldasto in
Reichsa

Reichs-Satzungen. Crus. Dodec. II. Annal. Svec. Lib. X. c. 3. f. 382. Besold. Synops. Histor. p. 351. Pontan. Bellar. Attic. p. 670. & conf. Aventin. Lib. VI. Annal. Boj. f. 482.

§. 27. Audivimus cognomina. Nunc lustremus insignia, quæ à Lupo sumserunt familiae passim variae, duas in Classes à nobis dividendae, unam earum, quæ Lupum gesserunt, non in clypeis tantum gentilitiis, sed in ipsis quoq; nominibus; alteram earum, quæ in solis clypeis. Materiam uberem *Silvester Petra Sancta p. 360. & seqq. de tesseriis gentilitiis* suggerit; obiter quoq; & paucis perstrictam à *Laurent. Peccensteinio part. 1. Theat. Sax. c. 19. f. 328.*

§. 28. Quod ad priorem Classem attinet, *Luporum* in Gallia insigne est incedens Lupus aureus in scuti valvulo cyaneo.

§. 29. *Wolfiorum*, in *Franconia* Lupus item incitatus versus laevam. *Wolfiorum* in *Suevia* Lupus versus laevam expictus in areâ obliq; ab angulo dextero & supernè aureâ, infernè undulis tribus argenteis impressâ, cum diademate aureo. *Wolfemiorum* in *Saxoniâ* Lupus nigris villis amictus & cum nativis exuviis, in parmula lutei fulgoris. *Wolfersdorffiorum* in *Misnia* profiliens Lupus versus laevam. *Wolframsдорffiorum* in *Misnia* Lupus erectus cornua Cervi in tergum reclinata faucibus suisprehendens. *Luparellarum* in *Urbe Roma*, Lupus in tumulto terræ prasino cubans, cum circumfuso purpureo nitore, atq; aurea ipsa, ternos lactentes lupos ad papillas habens. *Villalobiorum* in *Lusitaniâ* bini Lupi in solo aureo.

§. 30. De *Leonhardi Lycii* insigni dictum est supra §. 22. de *Hieronymi Wolfii* dicetur infra §. 51.

§. 31. Quod ad posteriorem: *Agoultiorum* in *Gallia* est Lupus cyaneus & erectus, solisq; dentibus puniceus in aurato scuti alveolo. *Aylarum* in *Hispania* binæ lupæ punctim auro inusta. *Avellanadarum* ibid. duo Lupi gradiles, ovemq; singuli argenteam rictu prehensam rejectamq; in humerum referentes.

§. 32. *Badenhauseniorum* in *Sveviâ* est Lupus aureus versus laevam profiliens cum anserem. *Brandsteiniorum* in *Misnia* Lupus atricolor, argenteum anserem ore efferens, in scuti valvulo inaurato.

§. 33. *Cardenarum* in *Hispania* bini, & illi quidem fabulei Lupi. *Endiorum* in *Misnia* (quos olim *Wolfsbergeros* dictos *Peccensteinius* memorat) Lupus nigris vestitus villis & cum exuviis nativis.

Golden

Goldenbochiorum in Ducatu Brunsvicensi bini Lupi punicei in solo aurei metalli. Hispanorum *de Haro* in areola argento insperfa bini Lupi.

§. 34. *Kleistiorum* in Saxonia fabulei Lupi perinde & gradiles in argentea scuti areola. *Kötteritiorum* in Misnia Lupus gladio trajectus. *Leipoltziorum* in Hassia Lupus expictus præposito situ, in lævam nempe incitatus, & qui ostentat anserem argenteum. *Lombersverdalleorum* in Gallia Lupus aureus exiliens in muricata parmula. *Oseriorum* in Hispania bini Lupi punicei. *Westernachiorum* in Svevia Lupus in argentea parmula.

§. 35. Non solum autem familiis, sed etiam Civitatibus quibusdam placuit habere Lupum pro insigni: In Romanorum insignibus militaribus lupi quoque effigiem olim effulsisse à *Plinii lib. X. c. 4. notat Aldrov. p. 161.*

§. 36. *Sena* Tuscia Civitas Lupæ simulacro pro insigni gentilitio delectata est. *Aldrov. d. 1. Insigne Bathavense Lupus excoriatus. Johann. Aventinus Ann. Boj. Lib. 7. p. 550.*

§. 37. Tempus est, ut ab Historia factorum nos recipiamus ad indagacionem causarum, quæ movere homines potuerunt, ut ab animali hoc dignarentur vel nominari, vel signari.

§. 38. Equidem rapax animal est Lupus, & pecori utilissimo, non raro ipsi quoque homini, infestum ac insidiosum: quare communi hominum odio passim laborat, tota Anglia ejectum, quod pluribus narrat *Camerar. I. hor. succis. 28.* Romanis etiam tam invisum olim fuit, ut ob Luporum in Urbe conspectum sive oppressi insectantium industriam interficerentur, sive evaderent, semper Urbs solenni lustratione, expiaretur, qua averti atque depelli calamitates, quas a portafessent Lupi, credebantur, *Rosin. III. Antiq. Rom. 9. p. 453.* Rustici nostri nomen ejus quoque abominantes certo anni tempore, h. e. duodecim à Natali Dominico diebus diligenter cavent, ne suo cum nomine appellent, itaque pro lupo vocant *das Unthier.*

§. 39. Liceat hoc loco obiter in occasionem superstitionis inquire: cujus quædam se vestigia produnt apud *Pencerum p. 280. de divinac. cap. de Theomantia.* Narrat ibi, duodecim, quos diximus, diebus per Livoniam & vicinas regiones accidere quotannis, hominum in figuram luporum migrantium metamorphosin (qualis ea sit, disputa-

dispurare hujus loci non est) exactis illis diebus Agmen dissipari rursus, & ad se quemq; redire. *Colerus Lib. XIV. Oeconom. c. 24. f. 599.* scribit, iisdem diebus lupum in primis propter Venerem discursare, atq; tum iis maximè, in quos incidit, formidabilem esse. Et huc etiam illud facit, quod è Philostephano refert *Pier. Valerianus XI. Hierogl. 2. p. 126.* Latonam prænantem (sic persuasum gentilibus fuit) per duodecim dies in Lupum transmutatam Delon se contulisse, ubi facultas illi pariendi fuit: Ea propter lupos certa anni dimensione omnes intra dierum duodecim spacium parere. *Conf. Ælian. X. de animal. 26.* & adde adagium: *Lupus in fabulâ.*

§. 40. Ut in orbitam Dissertatio nostra redeat, suspicari quis possit è dictis, ignominia potius, quàm celebritatis causa nomen hoc signumvè hominibus impositum initio fuisse.

§. 41. Sanè hoc argumento Arlottum quendam, scurram non inglorium nec inficetum, usum scribit *Balth. Bonifacius Lib. 1. Hist. lud. c. 59. p. 45.* Is Lupum nobilem Virum nuper vita defunctum funebri Oratione laudaturus, ita exorsus est: *Animalia quædam optima sunt viva & mortua, veluti bos: quædam viva quidem utilia sunt, mortua verò nequaquam, ut asinus; alia, dum vivunt, nibili sunt, mortua verò sapiunt, ut porcus; Nonnulla deniq; reperiuntur, quæ viva pariter atq; extincta pessima esse comperiuntur, ut Lupus.*

§. 42. Verùm ille quidem captavit risum, quanquàm loco minus idoneo. Et illud tamen parum verè dixit, Lupum ne mortuum quidem prodesse. Quid enim? Annon detracta Lupo pellis egregiè nos adversus hibernum gelu munit?

§. 43. Ergò inquiet aliquis, hoc solo nomine meruit lupus, ut eum homines ita venerarentur? Minimè hoc volo. Quin potius alia fuisse credo multa, quæ homines huc inclinarent.

§. 44. Enimverò fallitur quisquis putat, nihil inesse lupo etiam vivo, quod in laudem trahi queat. Quod enim malefica homini bestia est, hominis hæc culpa fuit, non lupi. Nisi enim peccavisset homo, non erat futurum, ut vel lupus, vel alia quævis fera homini noceret. De cætero non dubium est, in hoc etiam animante Creatoris elucere tum sapientiam, tum bonitatem.

§. 45. Quare tamen non nego, rarò bonam in partem accipi Lupum, etiam in Sacris, saltem aliquando tamen honorifica est ejus ibi

B

men-

mentio, ut *Genes. 49. Benjamin Lupus rapax dividet serò spolia sua.*
Vid. Sam. Bochart. Hieroz. Lib. III. c. XI p. 828. & Westhen. de trop. p. 986.

§. 46. Sic enim est: Habitus fuit Lupus perinde ut rapax fera quævis (Leo, aquila, vultur) pro symbolo fortitudinis militaris. Atq; hæc præcipua videtur esse causa, cur talium ferarum vel nomina quòdam vel insignia fuerint usurpata, ab illo hominum genere, quod maximè gloriam sibi ab armis comparatam vellet.

§. 47. Ubi quidem non ivero inficias, fuisse quondam, qui luporum more non nisi rapto vivere, belloq; injustissimo aliis sua eripere pulchrum putarent, atq; hac de causa lupis se similes esse vellent. Quo referam non modò Hirpos, de quibus supra §. 18. sed etiam Danaum, qui cum primum Argolicam regionem attingeret, forteq; lupum tauro congressum videret, lupi omen ad se, qui more lupi peregrinos adoriretur, pertinere ratus, finem certaminis expectavit, cumq; lupus victor discessisset, ipse simili felicitate usus est, ut memorat *Plutarch. in Pyrrho. f. 359.*

§. 48. At enim verò obesse hoc non debet, quo minus justæ quoque legitimo in bello fortitudinis simulacrum petatur à Lupo. Utiq; ridiculus fuerit, qui Columbam, aut ovem aut imbellem damam in clypeo pingens suo militare robur his designari symbolis crediderit.

§. 49. Sed hæc causa ad eos maximè pertinet, qui lupi vel nomen, vel insigne meriti sunt à facinore militari. Quid autem de iis dicemus, qui calamo potiùs quam gladio clari hoc idem cognomen vel à parentibus acceperunt, vel pepererunt fortè sibi? Quid est in lupo, quod eruditus aliquis suum optet?

§. 50. Facilis responsio: Claritas oculorum. Sive enim propriè dictos intelligas oculos, eorum sanè in libris assiduè perlustrandis egregiè usus est his hominibus; sive metaphoricos, in abditissima quæq; immittunt illi aciem pectoris. De Pythagora *Ovid. Lib. XV. Metamorph. fab. II. p. m. 859.*

Mente Deos adiit, & quæ natura negavit

Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

§. 51. Sanè *Reusnerus* ad Clarissimum Virum *Hieronimum Wolfium* scribens, causam impositi nominis his versibus eloquitur:

Fraus in Te cum nulla sit, aut vis improba Wolfi,

Quæro Tibi servus cur dedit arma lupus?

Fallor?

*Fallor? An obscura lupus, ut videt omnia nocte,
Et superat visu cetera bruta suo:
Sic acie mentis penetrans terramq; polumq;
Omnigena doctos vincis in arte viros.*

§. 52. Est hæc quidem allusio poëtica. Neq; enim Hieronymus Lupi cognomen primus intulit familiæ, sed accepit à Proavis: quos cum à Melchiore Adami (p. 304. de Philosophis Germ. in marg.) equestri dignitate Viros fuisse acceperimus, consentaneum est, hoc insigne ferri potius, quàm mentis acie fuisse promeritos. Veruntamen si quem è literis maximè nobilitari contingat, quis eum dubitet similiorem lupo fore dicendum oculis, quam ungvibus?

§. 53. Omnino tantæ lupus est perspicaciæ, ut de eo mira referant, tenebras eum videlicet evincere, & intempesta nocte silente luna, clarissimè obvia intueri, *Pier. Hierogl. Lib. VI. c. II. p. 126.* Nec aliundè nomen illi fecerunt Græci, quàm à Luce. *Λύκη* enim lucem primam significat, *Macrob. I. Sat. 17.*

§. 54. Quæ dicta sunt hæctenus, optimè consentiunt cum Poëtarum quoq; placitis, quippe qui Lupum & Apollini & Marti volunt sacrum. Marti opinor ob fortitudinem; Apollini ob perspicaciam. Fortitudo militum virtus est, perspicacia eruditorum. Quare nec eruditi habent, nec milites, cur ipsos hujus vel nominis, vel armorum gentilitiorum pœniteat.

§. 55. Ac Marti quidem sacros fuisse lupos, passim testatum est; *Virg. IX. Æneid. v. 565.*

*Quæsitum matri multis balatibus agnum
Martius à stabulis rapuit Lupus.*

Horat. Lib. I. Od. 17.

Nec virides metuunt colubros,

Nec Martiales hædilia lupos.

Vide & Etzlerum in *Isagoge Physico-magico-medica Tit. Martis. p. 58.*

§. 56. De Apolline autem consulendus *Gyraldus Syntagm. VII. f. 215. 216.* ubi explicat, undè Apollo *λύκη* & *λυκακλον* appellatus fuerit. Est enim in utraq; voce significatio lupi.

§. 57. Sed causa cur Apollini sacer sit lupo, ab aliis alia profertur, his ad similitudinem Apollinis cum lupo, aliis ad odium versus hoc

animal confugientibus. Et verò *Muretus* quoq; III. *Var. lect.* 7. observavit, non satis convenire inter antiquos Scriptores de causis, ob quas hoc aut illud animal, huic aut illi Deo immolaretur. *Alii enim,* inquit, *quod cuiq; Deo gratisimum esset, id ad illius aras maētari solitum ajunt; alii, quod quisq; Deus odisset, ejus potissimum illum cæde oblectari putabant.* Confer. *Nat. Com. Mytholog.* L. IV. c. 10. p. 344.

§. 58. Utiq; ad similitudinem Lupicum Apolline illud pertinet, quod inter alia *Gyraldus* refert, *Lycopolitanos* in Ægypto & Apollinem & Lupum pari religione coluisse, in utroq; solem veneratos, quia hoc animal plurimum oculorum acie valens tenebras nocturnas evincat.

§. 59. Ad odium verò haud dubiè referendum illud est, quod è *Corinthiacis Pausania* (p. m. 96.) ibidem narratur de causa cur *Apollo*, quem *Sicyonii* colerent, *Lycæi* cognomen tulerit. Cum enim lupi ovilia tantoperè vexarent, ut nullus jam ex illis capi fructus posset, indicasse Apollinem, quo loco aridum quoddam lignum jaceret: cujus corticem carnibus permistum cum ex eodem Oraculo Lupis apposuissent, illos simulatq; gustaverunt interemptos esse. *Lycium* quoq; Apollinem Oraculo clarum, ex Luporum interfectione sic dictum, sunt qui produnt. Vid. *Gyrald. d. l. è Festo, Cerdam ad IV. Æneid. f. 420. è Servio.*

§. 60. Manifestè autem *λυκοκτόν* sive *Eupicidà* dictus est *Apollo* à luporum cæde, quod ex *Aristarcho* & *Phurnuto* *Gyraldus* inde interpretatur, quia sit *Nomius* seu pastoralis Deus, dumq; lupos interimit, pascuorum custodiam gerat.

§. 61. Quo loco illud alicui possit in mentem venire, neq; ut opinor absurdè, an non ob lupos per venationem graviter occisos uni alterivè familiæ. Lupus pro insignibus esse cœperit, illi cum primis quam supra §. 34. diximus in clypeo gerere lupum gladio trajectum.

§. 62. Atque hæc altera fuerit causa, cur lupus in familiæ nomen vel arma gentilitia transierit, petita videlicet non à metaphorico lupo, sed ab ipsâ hominis à lupò propriè dicto reportatâ victoriâ.

§. 63. Affinis huic tertia est causa, nisi quòd eam non consilio, sed casui imputare convenit. Si enim vel homini, vel Reipubl. alicui peculiare quiddam à Lupò quasi per occultam fortunæ vim evenit,

nerit,

nerit, ipsa facti raritas effecit facile, ut lupus adscisceretur quasi pro
perpetuo rei gestæ monumento.

§. 64. Neq; verò novum apud Romanos fuit, à bestiis ex aliquo
casu nomen accipere. Valerio Tribuno militum, cum ad singulare
certamen à Gallò provocatus descendisset, quod pugnanti in galea
Corvus infederat, Corvini nomen factum. Rursus Buteones dicti,
quod auctori familiæ cum classi præfectus à portu solveret, Buteo
avis felici omine infedisset: quo augurio insignem de hoste victori-
am tulit, referente *Alex. ab Alex. Lib. I. Genial. dier. c. 9. p. 13.*

§. 65. Ita cum Romulum & Remum lupa nutritivisse dicatur (quàm
verè, nunc non disputo,) Romanis pro insigni usurpatus est Lupus,
vid. Voss. L. III. de Idolol. c. 75. p. 1140.

§. 66. Fas hoc loco sit vel in extrema Dissertationis parte versan-
tibus nobis etiam nostræ familiæ meminisse: Cui Wolfium nomen
non ex alia hæsit causa, quàm quod is, à quo in nos abnepotes usq;
derivatum hoc vocabulum est, admodum puer in speluncam lupi
incidisset, beneficio Dei servatus, & incolumis extractus. Ex eo enim
tempore & ipse vocatus est Lupus, & in posteros hoc nominis pro-
pagavit.

§. 67. Aliàs casus istiusmodi variis superstitionibus occasionem
dedisse reperio. Delphis aurum sacrum è fano Apollinis ablatum,
atq; in Parnasso monte defossum indicio suo detexit lupus, inde sa-
cer habitus Delphis. *Ælianus XII. de anim. c. 40. & Lib. X. c. 26.*
ubi & alia causa memoratur, cur in templo Delphico consecratum
fuerit Lupi simulacrum: nempe quia Latona in lupum conversa
Apollinem pepererit. Quà de re jam supra dictum §. 39.

§. 68. Ad superstitionem quoq; illud haud dubiè pertinet, quod
vulgò etiam fertur, lupi occursum felicem esse, leporis infelicem, re-
ctissime damnatum à *P. Blesensi Epist. 65. sub finem: Somnia ne cu-
res, amice charissime, nec te illorum errore involvas, qui occursum
leporis timent, qui de jucundo gloriantur hospitio, si eis lupus occursa-
verit aut Columba.* Leporem etiam in somnis visum infelicem facit
Astrampsychus: Φανεῖς λαγῶος δυσυχεῖς ποιεῖ τεύχεος. Sed quæ cau-
sa tam præposteræ, ut videtur, superstitionis?

§. 69. Sunt, qui lupum, animal alioquin inauspicatum ideò vo-
lunt quasi honori restitutum, & in hieroglyphicis signum fuisse pro-

peritatis, quia Lupa nutrix Romuli & Remi fuerit, *Pier. Hierogl.*
 §. 70. Alii ad jocum referunt. Quis enim non malit lupum trans-
 currere, quàm adoriri se? Leporem verò consistere & capi esset me-
 lius, ut obsonium suppeteret, *Camerar. pater Decur. VII. probl. 9. &*
Camerar. fil. II. Succis. c. 90. & 100. p. 498. 565. Hoc & Jo. Saresber.
innuit 1. Policr. 13. p. 37. Leporis timebis occursum, si tamen evaserit.
Est enim procul dubio longè commodior in mensâ, quàm in via. Lupo
obvio congratulaberis, boni siquidem nuncius est.

§. 71. Sed procul abeat omnis superstitio. Nobis quidem satis
 jam est ostendisse, non tam scævum animal esse lupum, ut eum vel in
 gentilitio nomine, vel pro insigni ferre quenquam
 pudere debeat.

F I N I S.

COROLLARIA.

- I. *Voluntas non fertur in omninò incognitum.*
- II. *Nec in impossibile, quàm tale.*
- III. *Ut non omnis vis est injusta: ita nec omnis dolus est malus.*
- IV. *In statu innocentia fuisset Imperium uti domesticum, ita civile.*
- V. *Theocratia est species Reipubl. sed extra ordinaria.*
- VI. *Rerum proprietas tempore prior est communiōne bonorum.*
- VII. *Non modò Principem à civibus, sed & bellicum Imperatorem à*
militibus suis melius est amari quàm timeri.
- VIII. *Absolutus Princeps non potest peccare contra leges humanas.*

POLITISSIMO GENIO.

Non inter Latrantes hinc & oblatrantes versanti Lyciscas,
 sed oves satis morigeras

&
 INDEFESSI PRÆSIDIS suiq; FELICISSIMI DUCIS

Vestigia nunc obsequiosè legenti:
 SIGNA LUPINA, LUPI præclaraq; NOMINA fistis,
 INSIGNE, ô WOLFI, sic TIBI NOMEN erit.

*Breviter sed prolixo affectu erga cathedram subselliag.
 gratul.*

ELIAS SIGISMUNDUS REINHART,
 SS. Theol. D. & RECTOR Lipsiensis Uni-
 versitatis.

Docte, tuum, *WOLFI*, cognomen & ara lupinis
Patria imaginibus nobilitata refers.

Laudent queis volupe est generosos mente Leones:
Et, *LUPE*, tu multum strenuitatis habes.

Gratulab. ex animo
deproperab.

JOH. A D. Scherzer/SS. Th.
D. & PP. Alumnor. Electoral.
Ephorus.

Ad

Nobilissimum DN. **RESPONDENTEM.**

Non alas quæris, sed signa superba *Luporum*,
Tradita nobilibus, Cæsaris arte, *Viris*,
Nempe *Lupi*, tua quando gerit Gens inclyta, nomen
Hanc te materiam scribere condecuit.

gratulatur

M. JO. OLEARIUS, PP.
Facult. Phil. h. t. Decanus.

Quid Martiales ferre te in scenam *lupos*,
WOLFI, videmus, lemma atrox & horridum,
Quid disputare nomina atq; insignia,
Quem mitiorem novimus dudum ipsa ove?
Nempe hoc lupinum possides unum, *Lupe*,
Non indecorum nomini & sapientiæ,
Quam rege captas inclito **THOMASIO**,
Non arte nostra (si quid artis ad tuam
Tulimus juventam) non tua indignum fide;
Blandus, modestus, comis, æquus cætera,
Humanitate mirâ & ingenio probo,
Ovinus intus, efferus tantum foris

Rapaxq;

954

QK Tm 457

Rapaxq; solo, qod tueris, nomine,
Pseudopropheta penitus, inverfus tamen.

L. FRID. RAPPOLT,
Poës. Prof. Publ.

HAud Respondentem TE vox fugit, Optime WOLFI;
TE Lupus haud vidit, * Tu prior ipse lupum.

* Virgil. Ecl. 9. v. 54. Camer. scrib. festinus bone scæva ergo
cent. 1. succif. c. 23.

CHRISTIAN-FRID. Franckenstein/
P.P. Collegii Maj. Princ. Collega, alumn.
Elect. Insp. Acad. Decemvir.



Rappolt

von

m

940.

BIB
PON

VEDC

